FLORA.

56. Jahrgang.

№ 13. Regensburg, 1. Mai 1873.

Inhalt. W. Nylander: Observata lichenologica in Pyrenaeis orientalibus. — Anzeige. — Empfehlung. — Einläufe zur Bibliothek und zum Herbar.

Observata lichenologica in Pyrenaeis orientalibus.

Exponit W. Nylander.

IV. Collioure.

In praesenti capite de ipsa ora clivisque saxosis parum altis agitur mari proximis vel de zonula maritima exploranda latitudinem vix unius kilometri adtingente longitudinemque 4 vel 5 kilometrorum, sita inter oppidulum *Collioure* (latine *Illiberis* sive *Caucoliberis*) vel, ut verius dicam, inter Pla de las Fourques et meridiem versus ultra *Portum Veneris* (gallice *Port-Vendres*) ad Cap Béarn, extremo Hispanorum fine.

Spatium illud praesertim vineis occupatur, interspersis saxis nudis frequentissimis, etiam molibus majoribus obviis, et ubique e schisto micaceo constantibus. Saxa, quibus sic tota regio mire exasperatur, substratum praecipuum Lichenibus hic offerunt. E contrario arbores, quas jam in prioribus excursionibus parcas invenimus, in ora Illiberitana etiam parciores conspiciuntur vel fere solis oleis et suberibus apparent, truncis ramisque vulgo totis nudatis vel vix ullis adhaerescentibus Lichenum plagulis; ceterae arbores rarae sunt, neque nisi parca ostendunt eorundem vegetabilium corticolarum vestigia. [1]) Atque sistunt quidem saxicolae

1) Jam Schaerer notavit (Enumer. p. XXII): „Singularis tandem res cujus rationem explicare non valeo, ea est, quod in Pyrenaeis orienta-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0195-1

fere omnem Lichenaeam hujus zonulae maritimae, quae licet specierum numero non emineat tamen multa peculiaria hucusque praetervisa continet, sicut expositione infra data efficietur. Terrestres modo parci occurrunt. Accedunt necessario species maritimae, quales sunt: *Roccella phycopsis*, *Lecanora holophaea*, *Physcia aquila* etc. in primisque memoranda singularis *Verrucaria symbalana* ab ipsa aqua marina subluta vigens.

Hospitalitate amabilissima receptus in villa Domini Naudin diebus 4—7 mensis julii Lichenibus in propinquo indagandis operam dedi, atque jam juxta hortum cultura plantarum insignium eximium (Jardin d'expériences) celeberrimi Academici Parisiensis, vel in vinea ejus contigua, mox saxigena nova et rara haud pauca inveni, ita regio illa aprica, coelo mitissimo et vinis saporis generosi maxime excellens, etiam haud procul ab ipsis habitationibus dona naturae lichenosa admittit, muneribus pampineis multo quidem modestiora, attamen famae omnis sane non indigna, circumfusa licet luxurie phanerogama Florae quasi Andalusiae.

Species hic observatae paginis sequentibus recensentur:

Pyrenopsis foederata Nyl. Thallus fusco-nigricans verruculoso-squamulosus (squamulis planiusculis adnatis, latit. circiter 0,5 millim., sparsis aut approximatis); apothecia concoloria impressa minuta; sporae 8nae ellipsoideae vel subglobosae, longit. 0,008—0,010 millim., crassit. 0,007—8 millim., paraphyses crassiusculae articulatae apice incrassato subvirescenti-fuscescente. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde vinose fulvescens. — Frequens in vinea Naudini, saxa latere averso vel subumbroso effuse conspurcans.

Facie est *Lecanorae* e stirpe *L. fuscatae*. Comparari possit cum *P. pictava*, sed mox differens thallo intus (lamina tenui) ru-

---

libus in genere, in specie vero in amoenissima valle lateri boreali montis Canigou subjecta, supra vicum Vernet, arborum trunci Lichenibus fere omnino carent, dum rupes et saxa circumjacentia Lichenum frondosorum, qui vulgo in arboribus habitant, feracissima sunt." Quod sine dubio longe satius de ora valet Illiberitana. Ceteroquin in montibus a me exploratis arbores haud paucos offerre Lichenes vidimus, cur observatio citata Schaereri nonnisi restrictione quadum accipiatur; silvis vero succisis plurimae certe species hic perditae sunt, sicut ex. gr. *Usneae* et *Alectoriae*, quarum in itinere peracto locis Pyrenaeorum orientalium supra indicatis nulli occurrere licuit. Inopia autem *Pyrenocarpeorum* et *Collemaceorum* ibi maxime notabilis; *Cladoniae* quoque parcae. *Calicia* fere omnino desunt.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0196-7

bricoso, etc. Spermatia ellipsoidea, longit. 0,002—3 millim., crassit. 0,0010—0,0015 millim.

Lichinella stipatula Nyl. Thallus nigricans minutus, effusus stipato-confertus, e fruticulis ramosis constans (altit. 0,6—0,8 mill., crassit. 0,05—0,07 millim.); apothecia obscure fusconigra planiuscula (latit. 0,2—0,4 millim.), margine thallino non prominulo, intus pallida; sporae 24—48nae incolores ellipsoideae, longit. 0,006—7 millim., crassit. 0,003—4 millim., paraphyses molles fere mediocres (non semper bene distinctae), epithecium lutescens. Jodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubens. — Ad saxa subumbrosa in vinea Naudini.

Genus Collemaceorum novum:[1]) thallus minute fruticulosus, intus cellulosus, gonimiis glaucis majusculis conferte in cellulis inclusis; apothecia lecanorina terminalia, thecis polysporis; spermogonia incoloria sterigmatibus tenuibus simpliciusculis, spermatiis minutulis. Spermatia in hac specie longit. 0,002—3 millim., crassit. haud 0,001 millim.. Gonimia ammoniaco superfusa contentum gelatinosum glaucum dimittunt et membranulam parietalem tenuissimam incolorem vacuam ostendunt. Comparari possit *Leptogium microscopicum*, quod est gracilius, cellulis gonimiisque minoribus, etc.

Leptogium (Amphidium) terrenum Nyl. Thallus lurido-griseus terricolor, sat tenuis (crassit. 0,1 millim. in sicco statu, vel paullo crassior), inaequalis, subplacodioso-squamulosus vel quasi e placodiis indistinctis (latit. circiter 1 millim.) obsolete plicatis et vix crenatis constans, saepius confertis; apothecia rufo-fuscescentia biatorina adnata immarginata (latit. 0,5 millim. vel minora); sporae 8nae oblongae vel suboviformes, submurali-divisae, longit. 0,020—28 millim., crassit. 0,009—0,014 millim., paraphyses mediocres. Jodo gelatina hymenialis coerulescens (thecae praesertim tinctae). — Supra terram in fossa arcis Pla de las Fourques.

Genus novum quoad thallum, quasi *Pannaria* (quodammodo *P. leucolepis* obliterata, depauperata, deminuta, sordidescens); sed sporae *Leptogii*. Offert thallus, qui totus cellulosus, stratum superum nonnihil crassius sine gonimiis et inferum subaequalis crassitiei indeterminatum gonimicum. Gonimia glauca, diametri transversalis 0,005—7 millim. Thallus humido statu crassitie

1) Genus *Lichinella* ad *Leptogium* proxime accedit. Aliud novum genus, *Leptogidium*, a Leptogio separandum, sistit *L. dendriscum* Nyl. Syn. 1, p. 135. exoticum, thalli syngonimiis scytonemoideis abunde distinctum.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0197-3

0,2 millim. Genus *Amphidium* nondum rite cognitum forsan satius juxta *Leptogium* disponatur quam prope *Pannarias* vel *Heppias*. Spermogonia non visa.

Collema stygium (Del.). Forma thallo tenui. Sporae fusiformes 3- (rarius 5-) septatae, longit. 0,020—37 millim., crassit. 0,006—7 millim. — Ad saxa passim.

C. cheileum Ach. — Supra terram juxta hortum Naudini prope Collioure.

Omphalaria pulvinata (Schaer.). — Cum *Endocarpiscis* rarius.

Stereocaulon nanum Ach. — Supra terram in fissuris vel basi rupium sat frequenter, semper fere *Lepraria lobificante* associatum.

Thallus K—. Incerti est generis ob apothecia hucusque ignota. Simul occurrens *Lepraria*, forsan sit *Lecidea* (*lobificans* dicenda), subsimilis *Lecideae neglectae*, quoad thallum, sed hoc lobato et reactione K flava distinctiore; apothecia non visa.

Cladonia pyxidata (L.). — Sat parce.

Cl. coralloidea (Ach.). Thallus K—. — In clivis passim.

Ramalina breviuscula Nyl. — Ad saxa prope mare, haud rara.

Roccella phycopsis Ach. — Saxicola in summo Cap Béarn parce.

Parmelia soredians Nyl. — Ad saxa passim. Simul *P. Borreri* * *ulophylla* (Ach.).

P. scortea Ach. — Ibidem frequens.

P. perforata Ach. et *P. perlata* (Ach.) Nyl. — Ad saxa passim.

P. conspersa Ach. — Passim saxicola. Etiam terrestris, supra ipsam terram sabulosam nudam, jaxta viam versus Valbonne.

P. verrucigera Nyl. Sporae longit. 0,008—0,010 millim., crassit. circiter 0,005 millim. Spermatia bifusiformia, longit. 0,006—7 millim., crassit. vix 0,001 millim. Thallus effuse papilloso-isidiosus vel verrucoso-isidiosus. — Ad saxa haud raro obveniens.

P. prolixa * *Delisei* (Dub.). — Saxicola passim occurrens.

Physcia parietina var. *aureola* (Ach.). — Frequens ad saxa aprica.

Ph. entheroxantha Nyl. Subsimilis *Physciae pulverulentae*, thallo albo-pruinoso adnato, at medulla tota citrino-flava (strato corticali subrotundato-celluloso). K—. — Socia *Parmeliae scorteae* prope Portum Veneris, supra terram saxorum.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0198-9

Ph. speciosa (Hffm.). Forma sterilis thallo rigido, laciniis sorediosis (sorediis sparsis marginalibusque). — Supra terram saxorum passim.

Ph. stellaris * *albinea* (Ach.). Passim super saxa et lapides.

Ph. aquila (Ach.). — Sat frequenter ad saxa versus mare.

Lecanora callopisma var. *sympagea* Ach. — Prope Collioure supra saxa aprica et tegulas lateritias vetustas, parce.

L. murorum * *subsoluta* Nyl., thallo tenui adnata subsquamulosa, squamulis ambitus crenatis, sporis majoribus (longit. 0,014—18 millim., crassit. 0,007—8 millim.). Videtur propria saltem subspecies. — Prope Collioure ad saxa cum *Lecidea cinereovirente*.

L. teicholyta var. *craspedia* (Ach.). — Supra lapides rarius.

L. aurantiaca var. *erythrella* Ach. — Saxicola passim obvia.

L. ferruginea (*sublecanorina* et *festiva* Ach.). — Supra lapides et saxa sat frequenter.

Var. *festivella* Nyl. (forsan satius subspecies) differens apotheciis minoribus (latit. 0,3—0,4 millim.) variantibus rufo-ferrugineis vel nigricantibus, sporis etiam distincte minoribus (longit. 0,010—14 millim. crassit. 0,005—7 millim.). Thallus caesio-cinereus tenuis laevigatus areolato-rimosus, nigricanti-limitatus. Epithecium luteum aut coeruleo-nigricans. — Ad saxa passim.

L. pyracea * *pyrithromoides* Nyl., thallo cinereo subareolato aut evanescente continuo, apotheciis fulvo-ferrugineis vel ferrugineo-rubellis aut obscurioribus, sporis longioribus (longit. 0,014—18 millim., crassit. 0,005—7 millim.), septo saepius sat tenui (pertuso). Forsan satius varietas *L. ferrugineae* aut propria species. — Ad saxa passim.

L. rubelliana Ach. — Prope Collioure parce.

L. vitellina Ach. — Lapidicola passim obvia.

L. Mougeotioides Nyl. — Ad saxa passim.

L. sophodes Ach. — Ad corticem oleae in Val d'en Reimbault.

L. subglaucescens Nyl. *L. confragosa* var. *glaucescens* Nyl. Força Réal p. 428. Forsan ut subspecies distinguenda. Spermatia arthrosterigmatibus pauci-articulatis (articulis turgidulis) infixa oblongo-cylindrica (longit. circiter 0,004 millim., crassit. fere 0,001 millim.). Sporae hic longit. 0,016—25 millim., crassit. 0,008—10 millim. — Ad saxa subumbrosa passim.

L. exigua Ach. Ei sporae longit. 0,010—16 millim., crassit. 0,006—7 millim. — Supra lapides passim.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0199-7

L. contribuens Nyl. Thallus lurido-cinerascens tenuis laeviusculus areolato-rimosus; apothecia nigricantia sublecideina vel zeorina, marginata (latit. circiter 0,5 mill.) vel margine thallode passim cincta, intus albida; sporae 8nae fuscae ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,017—22 millim. crassit. 0,010—12 millim., paraphyses mediocres articulatae, epithecium fuscescens. Jodo gelatina hymenialis coerulescens. — In saxis vineae Naudini parce.

Facie fere est *L. controversae* (Mass.), sed jam sporis aliis distinguenda. Spermatia minute bacillaria vix 0,004 millim. longa, crassitie parum ultra 0,0005 millim.

L. alboatra (*epipolia* Ach.).[1]) — Supra tegulas lateritias vetustas arcis Pla de las Fourques.

* *L. lainea* Ach. Facies *Lecanorae calcareae* var. *Hoffmanni* minoris (ita apothecia sunt lecanorina, sed saepius nigra nuda). Huc Zw. Exs. no. 351. A var. *margaritacea* typi *L. alboatrae* mox differt apotheciis atris nudis innatis (lecanorinis vel sublecanorinis). — Supra lapides et saxa passim.

** *L. glaucoatra* Nyl., thallo albido-cinerascente crassiusculo verrucoso-areolato. Apothecia lecideina adnata. — Ad saxa in insula parva St. Vincenti portus Caucoliberidis.

L. holophaea (Mnt.). Sporae incolores fusiformes, longit. 0,014—18 millim., crassit. 0,004 millim. — Supra terram saxorum prope mare (socia saepe *Lecideae aromaticae*).

L. saxicola (Poll.). — Supra lapides viae versus Valbonne.

L. galactina Ach. — Supra tegulas lateritias vetustas in Pla de las Fourques.

L. subfusca var. *campestris* Schaer. — Passim ad saxa.

* *L. schistina* Nyl.[2]) — Super saxa passim vel sat frequens.

L. pseudistera Nyl. — Ad saxa in Pla de las Fourques.

L. sulphurea Ach. — Ad saxa passim, aeque ac *L. erysibe* Ach.

---

1) Testibus spermogoniis est hic Lichen *Lecanora*, nec *Lecidea*. Accedit ad stirpem *L. sophodis*. At disjungenda omnino est *Lecidea betulina* Hepp., quae pertinet, ex criterio spermogoniorum, ad stirpem *Lecideae disciformis*.

2) Comparari possit Mandon Lich. Mader. no. 54, quo numero datur mea *L. chlarodes*. Subsimilis est *L. chlaronae*, at thallo albido sat tenui laevigato, areolato-rimuloso; apothecia rufo-fusca prominula mediocria (latit. 1—2 millim.), margine thallino subintegro cincta; sporae 8nae, ellipsoideae, longit. 0,011—12, crasit. 0,006—7 millim., epithecium rufescens, paraphyses gracilescentes sursum subtiliter inspersae. Jodo gelatina hymenialis coerulescens. Spermatia quoque rectiora quam in *L. chlarone*. Saxicola in Madera (Mandon, no. 54.).

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0200-3

L. atra Ach. Spermatia longit. 0,012—21 millim., crassit. vix 0,001 millim. — Sat frequenter ad saxa.

L. circinata Ach. — Prope Collioure passim.

L. parella (L.). — Saxicola sat frequens; saepe sterilis late expansa et tum vultu Pertusariae cujusdam apotheciis non evolutis.

L. intermutans Nyl. — Saxicola frequens.

L. calcarea var. *Hoffmanni* (Ach.). [1]) Spermatia aciculari-cylindrica, longit. 0,007—9 millim., crassit. haud 0,001 millim. — Ad lapides micaceo-schistosos passim. Etiam supra tegulas lateritias vetustas.

L. admissa Nyl. — Saxicola ad Collioure parce obvia.

L. cineracea Nyl. (cfr. Flora 1870, p. 38). Thallus Ca Cl + (fulvo-rosee tinctus), K (Ca Cl) + (erythrinose reagens). Affinis *L. fuscatae*, sed thallus pallidus (pallido-luridus vel lurido-pallidus, passim albo-suffusus). — Ad saxa schistosa in Pla de las Fourques.

L. Heppii Naeg. — Ad lapides versus Valbonne.

L. subfuscescens Nyl. *(Sarcogyne)*. Thallus luridus adpressus areolato-rimosus, sat tenuis; apothecia nigra adnata rugosa marginata (latit. 0,5 millim. vel minora) irregularia; thecae polysporae, sporae oblongae, longit. 0,003—4 millim., crassit. 0,001—2 millim., paraphyses graciles, epithecium luteo-fuscescens vel infuscatum. — Supra lapides socia *Urceolariae subsordidae*, prope Portum Veneris.

Affinis est *L. simplici*. Comparari possit *Sarcogyne acarosporoides* Anzi Anal. p. 17, sed ea major, magis notabilis et paraphysibus apice clavato munitis.

L. simplex (Dav.). — Ad saxa et lapides passim.

Urceolaria actinostoma Pers. — Lapidicola et saxicola sat frequens. Etiam super tegulas lateritias vetustas, in apricis. Eximie actinostoma in Cap Béarn super lapides micaceo-schistosos.

U. subsordida Nyl. Thallus griseus vel sordide cinerascens, rugoso inaequalis, areolato-rimosus, sat tenuis (crassit. 0,5 millim. vel tenuior); apothecia subconcoloria immersa (subactinostoma) parva (latit. 0,5 millim. vel minora), difformia; sporae 8nae, longit. 0,022—32 millim., crassit. 0,015—18 millim. — Supra lapides prope Portum Veneris.

1) „Cum *L. calcarea* verisimiliter omnino confluit“ *L. gibbosa* (Fr. Lich. Scand. p. 277) corrigendum est; si auctor rem ex hodierno statu scientiae acurate examinare valuisset, ipsa non scripsisset. Revera *L. calcarea* propria est species atque ab ea separanda *L. farinosa* (Flk.) Nyl. L. P. no. 127.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0201-9

Dirina repanda * *schistosa* (Bagl. in Com. cr. Ital. V, p. 438). Thallus lurido-cinerascens vel umbrino-cinerascens, sat tenuis, areolato-rimulosus, obscure limitatus. Apothecia et spermogonia fere sicut in *D. repanda*, cujus sit subspecies aut forsan species propria. Chrysogonidia subglobosa (diametro transversali 0,008—0,014 millim.), rarius suboblonga. Thallus Ca Cl + (erythrinose reagens [1])). — Ad saxa praerupta circa Port-Vendres et in Cap Béarn frequens. Simul obvia var. *stipitata*, apotheciorum receptaculo stipitato.

Pertusaria Wulfenii var. *rupicola* (Schaer.). — Ad saxa sat frequens.

Endocarpiscum Guepini (Moug.) forma *nigrolimbata*, thalli squamis saepius nigrolimbatis minoribus (latit. 2—5 millim.) — In latere averso saxorum in vinea Naudini haud raro et saepius parasitula *Endococco pseudocarpo* infestatum.

Endocarpiscum rite consideratum est *Heppia* vel vix subgenus ejusdem. [2])

E. obscurans Nyl. Simile priori, sed thallo obscuro olivaceo-fusco (latit. 1—3 millim.). Apothecia fusca innata minuta impressula, demum lecanorina (latit. fere 0,5 millim.); sporae (fere 80nae) incolores simplices oblongae, longit. 0,005—9 millim., crassit. 0,002—3 millim. — Cum priore.

Differt a priore etiam thallo intus magis gonimioso (inde obscuriore) et parasitula alia *Endococco pellace* infestato. Paraphyses articulatae. Spermatia ellipsoidea, vix longit. 0,002 millim., crassit. 0,001 millim.

Lecidea coarctata (Ach.). — Ad saxa in lateribus viarum parce.

L. pelidna Ach. — Saxicola passim obveniens.

L. cinereo-virens Schaer. [3]) — In latere averso saxorum passim.

---

1) Ob reactionem subsimilem comparari possit „Lecidea Stenhammari" Fr., e Gotlandia insula (etiam e Büzen lectam a Lahm habeo), sed hocce nomen respiciat statum sterilem thallo incrassato *Arthoniae lobulatae* (Flk.).

2) Cl. Tuckerman (in Gen. Lich. p. 51) errat sentiens hanc speciem esse *Pannariam*. Si spermogonia examinavisset, mox videre ei licuisset, ea non Pannariarum esse, sed sicut in *Glypholeciis*, quibus *Endocarpiscum Guepini* sistit typum gonimicum omnino analogum. Ad *Heppias* simul referenda sint *Endocarpon reticulatum* Duf. (Heppia solorinoides Nyl.) et *E. turgidum* Ach. Eo etiam pertinet *Lecanora purpurascens* Nyl. olim. Subtribum propriam sistunt *Heppiei*. *Erioderma* distant jam arthrosterigmatibus, quibus convenit cum *Pannariis*.

3) *L. multiseptata* (Anzi) lecta fuit in Mont-Louis a Dre. Ripart.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0202-5

L. aromatica Ach. — Supra terrám saxorum passim.

L. parasema var. *latypea* (Ach.). — Ad saxa passim. Variat haec *latypea* thallo flavescente et minute granuloso, in Cap Béarn socia *Lecanorae ferrugineae* * *festivellae.*

Var. *elaeochromoides* Nyl. Quasi var. *elaeochroma* schisticola apotheciis nigris. Thallus flavicans inaequalis subareolato-rimosus, crassit. 1 millim. vel tenuior.

* *L. latypiza* Nyl. K + flavens (Ca Cl) —; alioquin sat conveniens cum *L. parasema* var. *latypea.* — Ad saxa prope Collioure.

L. contigua (Fr.). — Ad saxa passim.

L. fumosa * *grisella* Flk. — Ad saxa rarius.

L. sarcogynoides Krb. — Ad lapides rarius simulque *L. strepsodea* Nyl.

L. obluridata Nyl. Thallus luridus vel lurido-cinerascens, areolato-squamulosus, mediocris, areolis inaequalibus; apothecia nigra adnata mediocria (latit. fere 1 millim. vel minora) plana, tenuiter marginata, vel inaequalia, intus obscura; sporae 8nae incolores oblongae, simplices, longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., paraphyses mediocres, epithecium nigricans, hypothecium fuscum. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens. — Ad lapides in vinea Naudini.

Species accedens versus *L. sarcogynoidem* sed notis allatis differens. Lamina apothecii altit. 0,15 millim., thalamium vix tinctum; epithecium acido nitrico violacee purpurascens. Spermatia bacillaria recta, longit. 0,007—0,010 millim, crassit. non 0,001 millim.

L. chalybeia Borr. — Supra lapides passim.

L. epigaea Schaer. sterilis. Thallus K—, Ca Cl—. — Ad Portum Veneris parce, supra terram saxorum.

L. canescens Ach. (etiam fertilis). — Saxicola, ad Portum Veneris passim.

L. leptoclinoides Nyl. Thallus K + flavens (Ca Cl) —, I —. Forsan non specie distincta a *L. leptocline* Flot., quacum etiam spermatiis convenit. — Ad saxa sat frequens.

L. spuria (Schaer.). Thallus K + (flavens), I ∓. — Supra saxa et lapides passim.

L. squamulata Nyl. Thallus albido-glaucescens cartilagineus squamuloso-areolatus, squamulis adnatis anguloso-difformibus tenuibus (latit. 0,5—0,8 millim.) apothecia nigra adnata plana marginata (latit. 0,3—0,4 millim.), intus obscurata; sporae 8nae fuscae 1-septatae, longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,007—8 millim.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0203-1

paraphyses mediocres clava-fusca, hypothecium fuscum. Jodo gelatina hymenialis coerulescens (thecae dein fulvescentes). — Super saxa in vinea Naudini.

Thallus K—, I—, squamulis facie fere ut in *Lecanora calcarea* var. *Hoffmanni*. Species notis allatis facile dignota in stirpe *Lecideae spuriae*. Spermatia bacillaria, longit. 0,006 millim. crassit. fere 0,001 millim.

L. microtera Nyl. Thallus albus tenuis adpressus areolatus, areolis angulosis contiguis minutis (latit. circiter 0,25 millim.), hypothallo nigrescente obsoleto vel nullo visibili; apothecia nigra innata plana minutula (latit. circiter 0,1 millim.), margine nullo; sporae 8nae fuscae ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses mediocres molles, epithecium clavis paraphysum crassulis obscure coerulescens, hypothecium incolor. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde mox vinose fulvescens. — Ad saxa in vinea Naudini.

Thallus K —, Ca Cl —, I —. Minutie, epithecio coerulescente (acido nitrico violaceo-purpurascente) et aliis notis mox dignoscenda. Thalli areolae saepe subdispersae.

L. luridula Nyl. Thallus lurido-cinerascens tenuis adpressus laevigatus, areolis diffórmi-irregularibus (latit. circiter 0,3 millim.) contiguis; apothecia nigra adnata (latit. 0,3—0,4 millim.) submarginata, intus pallida; sporae 8nae fuscae ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,010—0,012 millim., crassit 0,005—8 millim., epithecium luteo-fuscescens, paraphyses non bene discretae (gracilescentes), hypothecium incolor vel subincolor. Jodo gelatina hymenialis lutescens. — Ad saxa subumbrosa in vinea Naudini, cum *Pyrenopsi foederata*.

Colore thalli squamuloso-areolati (K —, Ca Cl —, I —) et ceteris notis facile distincta. Spermogonia non visa, quare incertum anne potius sit *Lecanora*.

L. atroalbella Nyl. — Ad saxa haud raro obvia.

L. ocellata Flk. Thallus Ca Cl + (aurantiaco-suberythrinose reagens), K —, I —. — Ad lapides viae inter Collioure et Valbonne.

L. badiella Nyl. Supra thallum *Parmeliae Delisei* in vinea Naudini.

L. oleicola Nyl. Forsan non vere specie diversa a *L. myriocarpa*, sed thallus albidus vel glaucescenti-cinerascens sublaevigatus areolato-rimosus. Sporae longit. 0,010—14 millim., crassit, 0,005—7 millim. — Ad corticem oleae in Val d'en Raimbault, socia *Lecanorae sophodis* et *Melaspileae furtivae*.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0204-6

L. myriocarpella Nyl. Forsitan subspecies *Lecideae myriocarpae* subecrustacea, sporis minoribus (longit. 0,009—0,011 millim., crassit. 0,004—5 millim.). Jodo gelatina hymenialis coerulescens (dein thecae vinose fulvescentes vel subrubescentes). — Supra lapides passim.

L. nigritula Nyl. — Ad corticem oleae in Val d'en Raimbault.

L. geographica (L.). — Saxicola, passim obveniens.

Opegrapha Chevalieri f. *heteromorpha* Hepp., apotheciis latit. 0,2—0,3 millim. — Schisticola ad Portum Veneris et in Cap Béarn.

O. lutulenta Nyl. f. ecrustacea, thallo vix ullo visibili vel interdum tenuissimo flavido-virescente. Sporae oviformi-oblongae 3-septatae, longit. 0,018—22 millim., crassit. 0,006—8 millim. Spermatia bacillaria recta, longit. 0,006—8 millim., crassit. vix 0,001 adtingentia. — Ad saxa in Cap Béarn passim.

Arthonia astroidea * *epipastoides* Nyl. — Ad corticem fraxini parce.

A. subvarians Nyl. — Supra thallum *Lecanorae alboatrae* * *laineae.*

Melaspilea furtiva Nyl. — Oleicola in Val d'en Raimbault

Verrucaria Garovaglii * *adnata* Nyl. Differt facie, quam habet omnino *Endocarpi pusilli.* Squamae thalli lurido-fuscae vel rufescenti-fuscae, firmae, adnatae (latit. 1—2 millim.). Apothecia globoso-pyriformia, perithecii (nigri tenuis) parte globosa (latit. 0,3 millim.) sub thallo (fere 0,2 millim.) detrusa, ostiolo supra non prominulo. Spermogonia incoloria minora, longe minus intrusa; sterigmata subsimplicia oblonga vel pauci-articulata, cur hic Lichen cum Stirpe sua fere potius *Endocarpon.* — Supra terram in fossa arcis Pla de las Fourques.

V. nigrescens Pers. Sporae longit. 0,023—27 millim., crassit. 0,012—15 millim. Etiam varians thallo fusco subevanescente. — Supra lapides prope Collioure.

* *V. fusca* Pers., sporis longit. 0,019—24 millim., crassit. 0,009—0,011 millim. — Supra tegulas lateritias vetustas in Pla de las Fourques.

V. fusco-nigrescens Nyl. Subsimilis *Verrucariae mauroidi* Schaer., sed thallo fusco-nigrescente vel subcinereo-fusco, saepius subareolato-rimuloso sat determinato. Apothecia perithecio infra subincolore. Sporae oblongae, longit. 0,018—24 millim., crassit. 0,007—9 millim. — Supra lapides et saxa passim.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0205-2

Huc pertinet *V. virens* var. *obfuscans* in his Observatis I., Força réal, p. 430.

V. symbalana Nyl. Thallus niger tenuis vel tenuissimus, rugulosus, indeterminatus; apothecia concoloria prominula mediocria (latit. fere 0,3 millim.), perithecio crasso integre nigro (infra tenuiore), supra impresso (margine saepius bis terve fisso aut aliter irregulari); sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,012—16 millim., crassit. 0,006—7 millim. — Imam partem scopulorum ab ipsa aqua marina lavatam vel submersam illiniens, sub Pla de las Fourques ad ostium rivi Ravanel, socia Balanorum. Simili quoque statione in Cap Béarn.

Species optime inter halophilas (mauras) distincta statione et apotheciis irregularibus (inde quasi *Limboria*).

V. gemmata * *conoidea* Fr., thallo tenui sordido (luridocinerascente rugoso rimoso). Sporae longit. 0,016—33 millim., crassit. 0,008—0,012 millim. — Schisticola sat rara.

V. exiguella Nyl. Perithecia supra coerulescentia (parte supera dimidia), infra incolaria, minuta (latit. circiter 0,1 millim.); sporae 4nae incolores fusiformes, tenuiter 1-septatae, longit. 0,021—27 millim., crassit. 0,006—8 millim., paraphyses mediocres sat parcae. Jodo gelatina hymenialis non tincta. — In thallo *Lecanorae exiguae* punctis nigris minutissimis visibilis. Prope Portum Veneris.

Affinis est *Verrucariae epipolytropae* (Mudd.), quae distinguitur peritheciis paullo majoribus obscurioribusque, sporis tenuioribus (longit. 0,016—30 millim., crassit 0,005—6 millim.), paraphysibus gracilioribus et uberioribus.[1])

Endococcus pseudocarpus Nyl. Perithecia supra infuscata, infra incoloria vel subincoloria (latit. in sicco statu circiter 0,15 millim.). Sporae 8nae, leviter nigrescentes, oblongo-fusiformes, 1-septatae, longit. 0,009—0,018 millim., crassit. 0,005—7 millim. — In squamis thallinis *Heppiae Guepini* var. *nigrolimbatae*, quasi apothecia ejus fingens. In vinea Naudini.

E. pellax Nyl. Subsimilis priori, sed perithecio (paullo minore) integre infuscato. Sporae 8nae demum leviter nigrescentes, oviformi-oblongae, 1-septatae, longit. 0,009—0,015 millim., crassit.

---

1) Supra p. 74: e La Massane, altit. 600 metr., indicanda erat *Verrucaria pluriseptata*, et (a typotheta) omissum fuit nomen *V. epipolytropa* (Mudd.), cujus speciei est definitio ibi data, eam comparans cum *V. epicarphinea*. Simul eodem loco omissa fuit et addatur *Verrucaria polysticta* Borr. schisticola, ad Valbonne occurrens.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0206-8

0,005—6 millim. — In squamis thalli *Heppiae obscurantis* innatus, peritheciis supra vix nisi ostiolo prominulis.

Notis allatis specie forsan differt a priore.

Numeris sequentibus distribuuntur: 51) *Pyrenopsis foederata* Nyl., 52) *Lichinella stipatula* Nyl., 53) *Ramalina breviuscula* Nyl., 54) *Parmelia Delisei* (Dub.), 55) *Physcia parietina* var. *aureola* (Ach.), 56) *Lecanora Mougeotioides* Nyl., 57) *Lecanora schistina* Nyl., 58) *Lecanora sulphurea* Ach., 59) *Lecanora calcarea* var. *Hoffmanni* (Ach.), 60) *Lecanora cineracea* Nyl., 61) *Dirina schistosa* (Bagl.), 62) *Heppia Guepini* f. *nigrolimbata* Nyl., immixta *H. obscurante* Nyl., 63) *Lecidea parasema* var. *elaeochromoides* Nyl., 64) *Lecidea latypiza* Nyl., 65) *Lecidea leptoclinoides* Nyl., 66) *Lecidea badiella* Nyl., 67) *Lecidea oleicola* Nyl., 68) *Verrucaria symbalana* Nyl.

V. Perpinianum.

Addatur demum specimen Lichenaeae planitiei saxis destitutae, nempe regionis Pyrenaeorum orientalium remotioris, sitae inter Perpinianum urbem et mare prope viculum Canet. Quemadmodum saxicolae fere soli in ora Illiberitana, sic corticolae fere soli hic occurrunt. Arbores in ambulacris et hortis quidem adsunt, neque tamen Lichenes nisi parci observantur in corticibus habitantes. Platani, quae in altitudinem maximam excrescunt proceritateque egregia gaudent, iis parum conveniunt; ceterae arbores solum ab exiguo numero specierum incoluntur. Accedit una alterave terrestris.

Cladonia spinosa (Flk.). Datur in Coem. Cl. Belg. no. 180. Thallus K +. — In littore maris arenoso, inter *Ephedras*.

Parmelia soredians Nyl. Vultu *Parmeliae caperatae* minoris adnatae sorediataeque. — Parce super corticem arborum.

P. conspersa var. *hypoclysta* Nyl. — Prope Canet in littore maris arenoso laxe adfixa arenulis et *Cladoniae spinosae*.

Physcia parietina (L.) et *Ph. tenella* (Scop.). — Sat frequentes.

Ph. lychnea var. *ulophylla* (Wallr.). — Etiam haec super cortices sat frequens, at sterilis.

Ph. obscura var. *virella* (Ach.). Etiam varians thallus apice laciniarum brevium tenuiter albo-setuloso. — Corticola haud rara, spermogoniis praedita, nullis vero apotheciis.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0207-4

Ph. aglutinata var. *subvirella* Nyl., thallo effuso pro maxima parte soredioso-dissoluto. Spermatia recta vel nonnihil arcuata, graciliter cylindrico-acicularia, longit. 0,015—18 millim., crassit. vix 0,0005 millim. — Frequens super cortices arborum. Etiam lignicola. Obvenit quoque super corticem *Robiniae pseudoacaciae* laciniis subconvexiusculis et spermatiis longit. 0,016—21 millim. Typus *Ph. adglutinata* parce obvia.[1])

Lecanora pyracea (Ach.). — Ad corticem *Aceris pseudoplatani*.

L. cerina * *haematites* Chaub. — Ad eundem corticem passim.

L. subfusca (argentata) Ach. — Cum priore.

L. angulosa Ach. — Cum priore.

L. Naegelii Hepp. et *L. nigroclavata* Nyl. — Parce cum priore.

L. accline Flot. — Populicola, sat parce obveniens.

L. parasema (Ach.) Nyl. — Passim ad cortices.

Opegrapha notha Ach.[2]). — Ulmicola.

O. pulicaris (Hffm.). — Ad corticem *Salicis albae* vetustum.

Arthonia astroides Ach. — Ad corticem *Aceris pseudoplatani* passim.

* *A. epipastoides* var. *galactitella* Nyl. Facie fere *A. galactitis*, at jam sporis et reactione K differens. — Cum priore.

A. punctiformis Ach. — Ad cortices arborum parce.

---

1) Spermogonia sterigmatibus pauci-articulatis, sicut in aliis Physciis melanocarpis inferioribus, minimeque similia spermogoniis *Parmeliopsidum* tamquam sibi fingit scriptor inexpertus (Lich. Scand. p. 120), „blandum illud" Th. Fr. (cf. ibid. p. II) nimis large profundens. Revera differentia hic non multo est major quam inter Parmelias spermatiis bifusiformibus et alias congeneres iisdem aciculari-cylindricis longioribus. — Evidenter spermatiorum nota (iisdem verbis et mensuris) in Th. Fr. l. c. p. 143, 144, sumitur e Flora 1862, p. 355, ubi haec spermatia obiter indicavi.

2) Ad *Opegraphamnotham* Ach. pertinent etiam Anzi Lich. rar. Ven. n. 97 et 98. Affinis *O. pulicaris* (Hffm.) spermatiorum charactere ut species facile distinguenda agnoscitur. Quoque *O. diaphora* Ach. (cum f. *signata* Ach.) sit species propria, jam spermogoniis determinanda. Anzi l. c. n. 99 (*O. Pollinii* Mass.) pertinet ad *O. pulicarem*. Spermogoniis neglectis omnes commiscentur. *O.* „*diaphora*" supra (et n. 49 distributa), allata e La Massane, est *O. pulicaris; O. rimalis* Ach. (quae etiam ob spermatia nonnihil dissimilia differt ab *O. diaphora*) ibidem (La Massane) quoque addenda quercicola. *O. phaea* var. *brunna* Ach. non distinguenda est ab *O. diaphora*. *O. variaeformis* Anzi est omnino *O. notha*. Ex criterio spermatiorum sic *C. pulicaris* proxima est *O. diaphorae*, similiter atque *O. rimalis* proxima est *O. diaphorae*. *O. Leightoni* Cromb., etiam in Gallia obveniens, est distinguenda.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0208-9

A. galactites Duf. Lamina tenuis apothecii thalamio sublutescente (ex acido chrysophanico) K + (violaceo-reagente). Sporae longit. 0,010—0,015 millim., crassit. 0,004—5 millim. Spermatia arcuata, longit. 0,012—16 millim., crassit. 0,0005 millim. Ad corticem *Populi albae,* socia *Lecideae acclinis.* Etiam rarius ad *Acer pseudoplatanum.*

Var. *depuncta* Nyl. Apotheciis magis sparsis minoribus, spermogoniis crebris. Sporae magis variabiles, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,004—6 millim. — Populicola passim obvia.

A. dispersa (Schrad.). Sporae 1-septatae, longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,004—5 millim. Spermatia ut in *A. astroidea.* — Ad corticem *Aceris pseudoplatani* parce.

Verrucaria punctiformis Ach. Sporae longit. 0,011—15 millim., crassit. 0,0045 millim. — Ad corticem eundem ac prior.

V. modesta Nyl. — Eadem statione obveniens.

Mycoporum ptelaeodes (Ach.). Sporae longit. 0,014—17 millim., crassit. 0,006—8 millim. — Ad corticem olearum versus Canet.

Distribuuntur numeris sequentibus: 69) *Parmelia conspersa* var. *hypoclysta* Nyl. arenicola, 70) *Physcia adglutinata* var. *subvirella* Nyl. (Robiniicola), 71) *Physcia adglutinata* var. *subvirella,* 72) *Physcia lychnea* var. *ulophylla* (Wallr.), 73) *Lecanora pyracea* (Ach.), 74) *Lecanora subfusca* (argentata) Ach., 75) *Arthonia epipastoides* var. *galactitella* Nyl., 76) *Arthonia galactites* Duf., 77) *A. galactites* var. *depuncta* Nyl., 78) *Mycoporum ptelaeodes* (Ach.).

Anzeige.

Rehm: Ascomyceten fasc. III ist erschienen und enthält: 101. *Leotia lubrica* Glos. (f. *minor.* 102. a u. b). *Ascobolus immersus* Pers. 103. a. *Ascophanus pilosus* f. *equinus* Boud. 104. *Ascophanus granuliformis* (Crouan). 105. *Ryparobius dubius* Boud. 106. *Liboria pseudotuberosa* Rehm. 107. *Sclerotinia ciborioides* (Fr.) 108. *Pithya chrysopthalma* (Pers.) f. major. 109. *Helotium rhododendri* Rehm. 110. *Dasyscypha bicolor* (Bull.) *v. rhododendri* Rehm. 111. *Dasyscypha latebricola* Rehm. 112. *Dasyscypha fuscosanquinea* Rehm. 113. *Dasyscypha Kneiffii* (Wallr.) 114. *Dasyscypha littorea* (Fr.) 115. *Micropeziza graminis* (Desm.) 116. *Pezizella tyrolensis* Rehm. 117. *Pyrenopeziza rugulosa* Fuckel. 118. *Calloria fusarioides* Tul. *v. alpigena.* 119. *Lachnella Berberidis* (Pers.) f. *fraxini.* 120. *Blitridium Arnoldi* Rehm. 121. *Stictis foveolaris* Rehm. 122. *Schmitzomia radiata* Fr. 123. *Xylographa minutula* Körb. 124. *Xylographa parallela* (Ach.) 125. *Hysterium acuminatum* Fr. 126. *Lophodermium rhododendri* Ces. 127. *Lophodermium Pinastri* (Schrad.) 128. *Lophodermium juniperinum* (Fr.). 129. *Mytilinidion gemmigenum* Fuckel. 130. *Exoascus Pruni* Fuckel. 131. *Ascospora Himantiae* (Fr.). 132. *Lasiobotrys Lonicerae* Kze. 133. *Sphaerella*

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03638-0209-8

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1873

Band/Volume: 56

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Observata lichenologiea in Pyrenaeis orientalibus 193-207